



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 42. Fridericus ab Alexandro excommunicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

exercitu Imperatoris miserandæ stragis ^{Sæcul. XII.}
 causa extiterunt. Nam tanta hujus pestis A.C. 1167.
 vis fuit, ut superstites necatis sepeliendis
 singulis diebus vix sufficerent; qui mane
 sospites videbantur, die procedente ex-
 animes concidebant. Hæc tabes præter
 alios plurimos Præsules & Optimates
 abstulit Rainoldum Archiepiscopum Co-
 loniensem, summi ingenii virum, inter
 Præfectos Imperatoris eximium, nec-
 dum ordinatum, quamquam anno mil- ^{Chron.}
 lesimo centesimo sexagesimo primo ele- ^{Saxo. 1168.}
 ctus fuisset. Ejus Successor fuit Philip-
 pus Cancellarius. Itaque funesta clades
 Imperatorem ad abducendum exercitum
 compulit, atque extrema recedentis
 agmina rebelles Longobardi laceffere
 ausi sunt.

§. XLII.

*Fridericus ab Alexandro excommuni-
catur.*

Ubi fama pervolans ad S. Thomæ in ^{II. ep. 22.}
 Francia degentis aures detulit, quam
 probrose Fridericus ex Italia fugere co-
 actus fuerit, datis ad Alexandrum Pa-
 pam literis, rogavit verum edoceri, &
 victoriam gratulatus est, Friderici cladem
 illi comparat, quam Senacherib tulit;
 ipsum, quia excommunicatus erat, non
 amplius Imperatorem, non Principem, sed
 privatum habet, & epistolam sic claudit:

P p 5

Quis

Sæcul. XII.
A.C. 1167.

II. ep. 89.
Jo. ep. 210.
to. 10. Conc.
p. 1450.

Quis deinceps, Vicariam Jesu Christi potestatem in terris gerens, præsumat se ipsum voluntati Principum submittere, Ecclesiam prostituere, reorum audaciam inultam dimittere? audeat, qui voluerit, ego profecto non sinam, ut hæc culpa in me cadat, ne, dissimulans vindictam, eadem cum delinquente pœna involvar. Joannes Saresberiensis hanc Friderici excommunicationem clarius explicat, data sub idem tempus epistola, in qua dicit: Postquam Papæ patientia Tyrannum Teutonicum diu sustinuit, ut ad pœnitentiam provocaret, & Schismaticus iste peccata peccatis accumulavit, tandem S. Petri Vicarius, a Deo super Gentes & Regna positus, Italos ceterosque omnes a juramento fidei, quo ipsi ratione Imperii aut Regni obstringebantur, absolvit, eique in hunc modum totam pœne Italiam subtraxit. Præterea eundem Fridericum Dignitate Regia privavit, anathemate percussit, atque auctoritate Divina prohibuit, ne deinceps ulla virtute in bello vigeat, ullum Principem Christianum vincat, ullo in loco pacem aut quietem inveniatur, usque dum dignos pœnitentia fructus faciat. Qua in re Papa secutus est exemplum Gregorii VII. Antecessoris sui, qui simili modo nostra ætate Henricum Imperatorem in Concilio Romano deposuit. Joannes Saresberiensis, etiam esset

esset doctissimus, nullum tamen exemplum isto antiquius ex tota Historia Ecclesiastica afferre potuit, quo Pontificibus auctoritatem Supremos Principes deponendi adstrueret.

Sæcul. XII.
A. C. 1167.

§. XLIII.

Legati in Normanniam perveniunt.

Quamquam duo Legati, quos Alexander Papa, postulante Rege Angliæ, ad terminandam causam S. Thomæ Cantuariensis mittebat, prima die Januarii anno millesimo centesimo sexagesimo septimo Roma discessissent, non prius tamen quam exeunte æstate in Normanniam, ubi Rex versabatur, pervenerunt. Postquam vero iter auspiciati fuerant, Papa certior factus est, quam magnifice Joannes Oxoniensis Legationis suæ Romanæ successum exaggeraret, & jactaret, hos Legatos ad judicandum Archiepiscopum eumque damnandum mitti. Quin Papam jam nunc complures Præsules, multosque alios viros in Anglia spectatissimos, ab ejusdem Archiepiscopi Jurisdictione eripuisse. Comperit quoque Papa, his rumoribus non Archiepiscopum modo, sed etiam Regem Franciæ & Regni ejus Principes turbari. Quare data epistola duos Cardinales Legatos, Guilielmum Papiensem & Ottonem, jussit Archiepiscopo omnibus viribus